



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

I. Philippus Augustus nihil licere voluit Romano Pontifici in administratione regni. Interdictum se non observaturum dixit, si quod à Legato ferretur, ob pacem cum Anglo repudiatam, è Rogerio, & ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

gentes seu metropolitanam, ac in quatuor aliis diocesis quatuor episcopales Ecclesias ejus suffraganeas de novo creantes. Sed & nunc tibi significare providimus nos Albiensem in duos & Claromontensem episcopatus in alios duos similiter divisisse. Ut autem de locis in quibus constituimus episcopatus hujusmodi, ac de personis de quibus episcopatus providimus antefatis, notitiam habeas, scite te volumus quod castrum seu villam de Rivis ac villas sancti Papuli & Lumberiaci quondam Tolosanae ac Montemalbanum quondam Caturcensis diocesis civitates fecimus, & in earum qualibet Ecclesiam constitutum cathedrali: quarum prime, scilicet de Rivis, de dilecto filio Magistro G. de Brocia Decano Bituricensi Consiliario tuo, viro utique cuius genus, fidelitas, & merita te non latent, secunde, scilicet sancti Papuli, de dilecto filio Abbate ejusdem loci, viro profunde scientiae & fidelitatis experte, tertie vero, scilicet Lumberiaci, de dilecto filio Abbate ejusdem loci, fratre dilecti filij nobilis viri Comitis Convenarum, viro laudabilis conversationis & vite, & quartae, scilicet Montisalbani, de dilecto filio Abbate ipsius loci Capellano nostro & causarum appellationum nostri palatij Auditore duximus providendum. Castrum autem quondam Albiensis & villam sancti Flori quondam Claromontensis diocesis similiter fecimus civitates, & in earum qualibet Ecclesiam constituimus cathedrali: quarum primae, scilicet Castrensi, de dilecto filio Abbate Latiniacensi Magistro in Theologia, reliquae vero, scilicet sancti Flori, de Abbate sancti Tiberii Daceretorum Doctore Capellano nostro providimus, viris utique genere nobilibus & morum honestate preclaris, qui omnes de regno tuo Franciae oriundi, & fidelibus regni progeniti, regionumque commodi & honoris fervidi zelatores existunt. Haec, fili dilectissime, fecimus intendentes in iis Dei honorem & gloriam suique nominis cultum extollere, animarum procurare salutem, & tuam & regni tui tranquillitatem, securitatem, & pacem, ac commodum evidens promovere. Datum Avinionis v. 11. Idus Iulii, pontificatus nostri anno primo.

CAPVT XIV.

Synopsis.

I. Philippus Augustus nihil licere voluit Romano Pontifici in administratione regni. Interdictum se non observaturum dixit, si quod a Legato ferretur, ob pacem cum Anglo repudiatam, & Rogerio, & Mattheo Paris. Proceres regni monent quoque eundem Philippum ne fœdus inerat cum Anglo per coactionem D. Papa. Philippus IV. ad inducias cum Anglo per excommunicationes cogi à Pontifice passus non est. In temporalibus se nemini subiectus profutur; in spiritualibus pariturum, in quantum debet.

II. Has induciarum indictiones à Pontificibus factas non caruisse praxerit probabiliter. A treuga & pace que erat inducta in bellis privatis, argumentum ductum ad bella publica. Fœda strages à bellis privatis. Inducia illis indicta ab Episcopis & proceribus regni; que dicta est Treuga domini, & Glabry. qui explicatur in voce Vadimonium, Bella privata, legibus mediae aetatis tolerata.

III. Inducia illa decreta à Principibus & Episcopis, excommunicationibusque munita. Deinde à Cen-

ciliis confirmata. Cur dicta Pax & Treuga. Induciarum violatarum cognitio ad Episcopos & proceres; qui ex pallis conventis cogi poterant excommunicationibus ad persequendos raptos. Pacis violatores excommunicati & proscripti ab utraque potestate, occidi poterant impune à quolibet privato. De hoc solo genere excommunicatorum intelligendus Urbanus II. apud Gratianum.

IV. Superius dicta trahi non possunt ad bella publica à Regibus indicta. Belli gerendi potestas eos eximit à censuris laicis in depraedatores. Quia ad summum dubia res est an bellum sit iniustum; ideoque cessat jus excommunicandi; maxime in iis que respiciunt jus regium. Jura Principum excepta ab induciis privatis. Bella privata vetita B. Ludovici edito; sed penitus recisa constitutione Philippi IV.

V. Maxima Regum auctoritas in negotio pacis fracta. Eorum jussu restitui poterant communioni raptos quos Episcopi eam ob causam excommunicaverant, ex Ivone; qui adducit locum à Capitularibus petiitum de culpatis à Rege in gratiam susceptis.

VI. Agitur de explicatione famosi illius loci. Petitus est à Concilio Toletano x. 1. 1. cuius Concilij haec est sententia; excommunicatos ob crimen majestatis, si à Rege indulgentiam promeruerint, ab Episcopis quoque communioni ecclesiasticae restituendos. Hoc tractum in Gallia ad pacis infractores. Pœna canonica dimittenda, non autem peccatum depraedationis, ex Ivone.

VII. Ante Concilium Toletanum, Regis venia in crimine majestatis penitentiam ab Episcopis indictam solvebat; ut patet ex facto Praxertati, qui Ecclesiam suam recepit post convivium Regis; quia non fuerat dejectus à Synodo Parisiensi, sed tantum penitentia addictus. Hac indulgentia Regis ad omne crimen publicum trahi videtur à Capitularibus. Hodie, post abolitam penitentiam publicam, inutilis illa potestas.

VIII. Privilegium Regibus nostris indultum ne incidant in sententiam ob commercium cum excommunicatis fulciri potest usu illo antiquo.

ADDITIO. De Treuga & Pace nonnulla adferuntur non indigna sciitum. Concilium Tulugense habuit eam ob causam; itaque Synodus Helenensis, & Concilium Narbonense. Tum etiam Concilium apud sanctum Egidium, & Trojanum. Quae omnia nuppiam antehac edita fuerunt.

I. ADMINISTRANDI regni sui communionem denegavit Philippus Augustus Romano Pontifici, cum ab Ioanne Anagnino Cardinali ad pacem cum Henrico Rege Angliae ineundam ex auctoritate sedis apostolicae invitatus, Legati minas (qui, interdicto lato in universum regnum, Regis contumaciam se castigaturum minabatur) hac responsione repulit, ut referunt Rogerius Hovedenus & Mattheus Paris: Quod sententiam suam non timeret, nec teneret, cum nulla aequitate niteretur. Dicebat enim quod non pertinet ad Ecclesiam Romanam in regnum Franciae per sententiam vel alio modo animadvertere, si Rex Franciae in homines suos demeritos & regno rebelles, causam injurias suas & corone dedecus ulciscendi, insurgit. Cum idem Philippus anno MCCIII. ad pacis foedus amplectendum cum Ioanne Rege Angliae ab Innocentio urgeretur, Odo

Rogerius Hovedenus ad an. 1189. Mattheus Paris in Henrico II.

Vide Raynaldum ad an. 1104. f. 11. 17.

C. 7. N. 1. T. 24. Libert. Ut nequa pacem neque treugam faciat Regi Angliae per vi-

Hh iij

leniam vel co-
ditionem Domini
Papæ

C. 7. N. 11. T. 1.
Libert. Regnum
temporalium reg-
ni sui ad ipsum
Regem solum &
nominem alium
perinere, si quis
et unumque supe-
riorem recognos-
cit.

Dux Burgundiæ & proceres regni alienum à dignitate Regis esse rati ut Rex Pontificis imperio ad paciscendum de pace aut induciis cum Anglo cogere, consilio suo Philippum monuerunt ne se ad illa obsequia dimitteret, seque totis viribus, si quid contra tentaretur, obstituros. Vestigia decessorum suorum premens Philippus IV. anno MCCXC VII. prudenti responsione dignitati suæ cavuit, cum indictis à Bonifacio VIII. ad biennium induciis inter ipsum Regem & Romanorum Angliæque Reges, & excommunicationis sententiis adversus refragantes latis, non acquievit, administrationem regni sui, quæ à suo solius arbitrio quoad temporalia penderet, nemini concessurum, aut submissurum professus, sed jura regni sui fortiter tuiturum adversus hostes, quos sententiæ excommunicationis potius implicent quàm Regem. In iis verò quæ spiritualia contingunt, se more decessorum suorum, ut devotum sedis apostolicæ & Ecclesiæ filium, in quantum tenetur & debet, monitionibus & præceptis Pontificis pariturum.

II. Quin plures futuri sint qui has induciarum indictiones audaciæ adscribant, non dubito. At tamen si quis mores illius seculi investigaverit, ut Regem causæ favebit, ita prætextu satis probabili Romanos Pontifices non omnino fuisse destitutos inveniet. A Pace & Treuga, quæ Conciliorum Decretis inducitur erat in bellis privatis, quæque censuris ecclesiasticis muniebatur, ad inducias in bellis publicis indicendas ipsis Regibus argumentum traxerunt. Bella privata, quæ pondere & pudore legum comprimebantur, Romanis rempublicam tenentibus, per Gallias & ceteras Europæ regiones grassata sunt, cum duris exterarum nationum moribus ferrum lentis fori ambagibus successit, & juri publico aperta privatorum injuria. Tunc enim quisque suam suorumve injuriam non in jure coram iudice, sed ferro manique persequeretur; adeo ut etsi his inimicitias, quas *faidas* vocabant, & leges Longobardorum & Capitularia Regum modum præscriberent, tamen ingravescente in dies morbo, cædibus, depredationibus, & incendiis respublica fœdissimè vastaretur. His incommodis prospicere Gallicani Episcopi curarunt, non extincto quidem nefando illo bellorum privatorum usu, sed represso per inducias, quæ aliquot dies ociosos à cædibus redderent, sacratosque religionis prætextu. Anno MXXXIV. Episcopi & proceres provinciarum in Aquitania primum, deinde per reliquas Gallias, decreto suo privatis bellis inducias indixerunt, sub nomine *Treuge Domini*, à Mercurij suprema

De *Faidis* vide
Glos. Lindenbromi
& Spelmani,
R. P. Tac. Stru-
ad Capit. Caroli
Calvi.

die usque ad diluculum diei Lunæ subsequenti, ea lege, ut nemo ab inimico ultionem exigeret, nemo prædaretur, nec etiam à fideiussore pignus tolleretur; pena capitis, aut exilio, & excommunicatione, in rebelles irrogatis. Rodolphus Glaber meminit hujus institutionis; quam cetera quidem apertissimis verbis descripsit, sed pignus ablatum è domo fideiussoris *Vadimonium* vocat, Latina dictione, quamvis significatione barbara. Quod fraudi fuit illustrissimo Annalium ecclesiasticorum conditori, qui de strepitu fori hæc agi putavit, & de privatis dissensionibus, quas, si justæ sint, unaquaque die persequi liberum erit, vel deferere necessarium, si fuerint injustæ; hocque nomine Gallicanos Episcopos traducit. A qua reprehensione sine dubio temperasset, si confirmatas à quatuor Conciliis generalibus has inducias animadvertisset, & relatas in librum Decretalium sub titulo *de Treuga & Pace*; cujus usum & Glossa & Iuris Canonici interpretes abrogatum esse aiunt, hæcque sola observatione se curiosis antiquitatum indagatoribus satisfecisse putant. Bella isthæc privata, nec legibus probata erant, nec omnino damnata; imò verò si provocatio, vel potius, ut illius seculi verbo utar, si *diffidatio* præcessisset, pro jure constituto habebantur; ita ut in adversarium cæde prædis, & incendiis grassari liceret; ut docent Ivo, Friderici I. & Conradi leges. A quibus bellorum injuriis abstinendum erat diebus Jovis, Veneris, Sabbati, & Dominica, quos sub finem vitæ præcipuis salutis nostræ mysteriis Dominus consecravit.

ADDITIO

STEPHANI BALUZII.

ANTEQUAM ultra progrediatur oratio, lubet hæc additio nostra tanti sit ut avocare quemquam debeat à studio rerum pulcherrimarum; sed ut solent liberales ac feci convivatores, qui lactucas interdum ferculæque non admodum exquisita præbent convivis suis, tantum ut irritator fiat meliorum ciborum appetentia. Itidem mihi visum est eruditissimissimi scriptoris observationibus memet inserere & lectori tantisper ab earum lectione retardare, mihi gratiam habiturum quòd spatium ipsi tribuerim ad colligendas ingenij vires. Quanquam mea hæc additio etiam non injucunda videri poterit iis qui istius eruditionis sunt curiosi, quique singulares quasque observationes testimoniis veterum fultas lubenter conspiciunt. Quod eo gratius est hoc loco, quòd vir doctissimus in vocis *vadimonium* interpretatione lapsus sit, quem admodum observavit illustrissimus Archiepiscopus. Itaque adferam aliquot testimonia, quibus ostendam *vadimonium* significasse olim pignus, quod nos Galli

Glos. L. 112

Corl. 200. ad
annum 1100. l.
c. 1. §. 1.Ea enim nob
mox dicitur
1. 1. in Treuga
fac. 1.Ivo pp. 171.
Friderici 1. pp.
Abboni 1199.
Conrad. 1. ca.
Belle 1000.Glos. L.
112. §. 1.
112. §. 1.
112. §. 1.
112. §. 1.
112. §. 1.
112. §. 1.